

Idem aliter quam supra traditum est, Sole radiante in die, uel apparentibus stellis in nocte, & quatuor mundi plagas, dispositionemq; cœli ad instans propositum inuestigare,

CAPVT L.



APTA globum cum alueo eius ad regionis tuæ situm uerissimum, iuxta præceptionem capitis secundi huius, & eo ita fixe stante, pone gnomonem sphericum orthogonaliter erectum super gradum Solis in ecliptica diei tui propositi, si in die fuerit, mouendo sphaeram ante uel retro, donec radius Solis cadat per ambas scissuras gnomonis, quoniam tunc habebis dispositionem cœli ad illud instans, eritq; uerum oriens mundi in directo ueri orientis orientalis horizontis. Verum autem occidentis in directo ueri occidentis, & in directo puncti septentrionalis instrumenti, est pars septentrionalis mundi. In directo uero puncti meridionalis huius aluei, est pars meridionalis mundi. Apparebunt etiam signa & gradus 4. angulorum figuræ cœli in suis locis ad instans illud. Si uero fuerit in nocte, accipe altitudinem alicuius stellæ tibi notæ per quadrantem, uel aliquo alio ingenio: deinde pone quartam altitudinum supra stellam illam, & hoc in ea parte, in qua stella fuerit sita, ante lineam meridianam scilicet uel post, & in tantum moue stellam cum quarta altitudinum, donec ipsa ceciderit sub quarta altitudinum, subtus gradum altitudinis ipsius stellæ, quos mediante quadrante accepisti, tunc enim habebis dispositionem cœli ad instans propositum cum quatuor angulis ut supra.

Horam ignotam, qua certus eclipticæ gradus, in nota eleuatione polari ascendit, notam reddere.

CAPVT LI.



RIMVM dispone globum ad eleuationem poli tui, mediante armilla meridiana: deinde dirige locum Solis in ecliptica notatum sub eandem armillam meridianam, & in tali situ duc etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam in circulo horario, demum colloca gradum ascendens tui propositi, cuius horam quæris, ad contactum horizontis ex parte orientis, & statim index horarius, horam tibi prius ignotam, in circulo horario prodet, qua talis gradus ascendens in regione tua proposita supra horizontem ascendit.

Initia reliquarum s. domorum cœli, hoc organo rationabiliter constituere.

CAPVT LII.



RES æquandarum domorum cœli modos ex sphaera hac, uel globo Astronomico sumere possumus, quorum primum nostris temporibus Ioannes de monte regio Germanus, uti commodiorem, rationabilēq; in commentarijs suis in Almagestum Ptolemæi editis, commendans, certis principijs, firmissimisque rationibus obseruandum stabiliiuit.

Qui & si à duobus reliquis in quatuor cardinibus, siue angulis minime discordet in reliquis tamen domibus, non parum discriminis habere sæpiuscule compertum est. Nam modus etiam iste æquationis domorum cœli diuidit quatuor quadrantes

17 iij æquatoris,